

No. 16. 1302. 20. Dec.

Markgraf Friedrich von Dresden gelobt, auch im Falle der Noth seinen Gläubigern nur noch wegen Zahlung der zwei Beten eines Jahres Anweisung an die Dresdner Bürger zu ertheilen.

Nos Fridericus dei gratia marchio de Dresden tenore praesentium recognoscimus et publice profiteamur, quod cum universitas civium nostrorum in Dresden nobis singulis annis duas petitiones seu contributiones unam in festo Walpurgis et aliam in Mychaelis sancti festo solvere teneantur cumque ipsos cives nostros easdem ante praedictos terminos Walpurgis videlicet et Mychaelis petitiones seu contributiones ex nostra assignatione et mandato nostro nostris creditoribus saepius promittere contingat, ipsis tamen propter eorum grata servitia nobis creberrime exhibita, cum in omnibus nostram captent benevolentiam et frequenter omnibus sollicite intendant, quae commodum nostrum respicere poterunt et honorem, talem facere volumus gratiam, quod de cetero nulli hominum quacunque etiam necessitate nostra exigente plures promissiones plurium petitionum nostrarum vel contributionum quam duarum unius anni facere debeant, ne contra libertatem ipsorum, quam temporibus felicis recordationis domini ac patris nostri dilecti quondam Heinrici Misnensis et Orientalis marchionis habuisse dinoscuntur, eos ultra debitum per plures promissiones quam duarum petitionum unius anni ut praemissum est videamur aggravare. In cuius rei testimonium ipsis praesentem litteram dari fecimus sigilli nostri novi munimine roboratam. Datum Dresden anno incarnationis domini millesimo trecentesimo secundo in vigilia beati Thomae apostoli.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit einem Bruchstücke des Siegels an einem von der Urk. selbst z. Th. losgetrennten Pergamentstreifen.

Hasche Urkundenb. S. 63.

No. 17. 1303. 4. März.

Markgraf Friedrich von Dresden verspricht, nachdem er gegenwärtig durch die Bürger eine ausserordentliche Beisteuer von 50 Mark Silber erhalten, von der Besteuerung einzelner Personen künftighin abzusehen und im Bedürfnissfalle eine allgemeine Bete auszuschreiben.

Fridericus dei gratia marchio de Dresden omnibus praesentes inspecturis in perpetuum. Cum ex temporis vetustate saepius acta hominum immutentur et varientur, salubri provisum est remedio, ut ea, quorum utilis est memoria, in sua ordinatione prout acta sunt et ordinata firma permaneant, robor et perpetuationem recipiant patrocinio litterarum. Ea propter ad omnium tam praesentium quam futurorum notitiam cupimus pervenire, quod cum nos cives nostros in Dresden ex causa inevitabili aliquotiens petitionibus seu contributionibus aliquibus plus solito licet invito gravare oporteat cumque praedicti cives nostri per singulares petitiones et speciales, quas in singulas personas eorum singulariter interdum fecimus, se maxime sentiant praegravari, nos eorum gravamina, quae ex praedicta singulari petitione in quemlibet eorum